

compendio quodam videtur complexus fuisse hoc libello totā scientiam de rebus cœlestibus.

CAPVT PRIMVM



SPHÆRA igitur ab Euclide sic describitur. Sphæra est transitus circumferentiæ dimidij circuli, quæ fixa diametro eousq; circumducitur, quousq; ad locum suum redeat. Id est. Sphæra est tale rotundum, & solidum, quod describitur ab arcu semicirculi circumducto.

COMMENTARIVS

HOC PRIMVM Caput continet principia, ac fundamenta totius Astronomiæ, de quibus etiam doctissime differit Ptolemeus in prima Dictione suæ magnæ constructionis. Diuidi autem poterit commodissime in quatuor præcipuas partes. Prima pars continet quinque definitiones, duas quidem Sphæræ. Tertiam centri Sphæræ, quartam ipsius axis mundi, & quintam polorum mundi.

In secunda parte continentur diuisiones quædam Sphæræ: In tertia, quæ nam sit mundi forma, explicatur: In quarta deniq; quasdam conclusiones de cœlesti, & elementari regione demonstrat auctor.

Vt autem duæ Sphæræ definitiones intelligantur, aduertendum est, apud Mathematicos tria genera quantitatum duntaxat reperiri; sub quorum primo continentur omnes lineæ, quarum extremitates sunt puncta: Sub secundo includuntur omnes superficies, quæ lineis terminantur; Tertium deniq; genus corpora, seu solida complectitur, quorum extrema sunt superficies. Linea est longitudo sine latitudine, vnam tantum habens dimensionem, qua secundum longum diuiditur.

Superficies vero est latitudo profunditatis expers, duas duntaxat recipiens dimensiones, vnam secundum longitudinem, alteram secundum latitudinem. Corpus deniq; siue solidum est magnitudo tres admittens dimensiones, longitudinem videlicet, latitudinem, & crassitiem seu profunditatem; Neq; alia magnitudo, siue quantitas a Mathema